



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

12. Januarij. Nisi charitati, & humanitati comes eas veritas, jam nec
charitas, nec Humanitas fuerit, sed fraus, & vanitas. S. Ignat. apud Bart. I.
4. fol. 381.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Fortis, & mille fraudium artifex hostis est, qui te oppugnat, cave solus cum eo congredi. Si tibi fidis? jam victus es. Si Deum in suppetias voces, omnes ejus artes securus ridebis.

12. Januarij.

Nisi charitati, & humanitati comes est veritas, jam nec charitas, nec Humanitas fuerit, sed fraus, & vanitas. S. Ignat. apud Bart. l. 4. fol. 381.

Hostis apertus minùs nocet, quàm fictus amicus; illum mediocri diligentia facilè quis cavebit, hunc nullâ satis. Qui suavi quadam eloquentiâ cordis tui intima subiit, quàm certa, tam grandia tibi vulnera infligere potest.

Oculata debet esse conversatio, sed magis amicitia. Diu delige, priusquam diligas. Sæpe sub læto gramine serpens latet. Fide, sed cui? vide.

Nemo læpiùs decipitur, quàm qui verbis credit. Sæpe cor felle plenum mellea verba eructat. Scypho nempe aureo venenum propinari potest, ut avidiùs hauriatur. Sic dulci fistulâ volucrem auceps decipit.

Nul-

Nullus Deo sincerior est amicus: Verba
vitæ, & veritatis æternæ habet; Huic soli
te, tua, tutè confides.

13. Januarij.

*Quantò arctius se quis Deo astrinxerit, &
liberaliorem erga summam Majestatem
prestiterit, tantò eum in se liberaliorem
experietur. S. Ignat. Con. p. 3. n. 1.*

Non perit, quod Deo datur; quò libe-
ralius terra vapores ad cœlum mittit;
tantò uberiores inde imbres recipit, quis
bus fœcundetur: imò, si terra bona cente-
simo fructu reddit sementem, quam acce-
pit, nunquid aut sterilior, aut illiberalior
erit creator suâ creaturâ?

Liberalitas hæc quæstuosissima est; quò
plus largiris, tantò plus habes. Sic sanè
perdere, lucrum est. Servare avaritia est
sordidissima.

Accipit Deus modica, reddit plurima,
pro momentaneis æterna, pro perituris
semper duratura, divina pro creatis refun-
dit. Se dat pro te. Hic sanè census omnem
explere cupiditatem potest. Quid adhuc
moramur nos, & nostra, Deo dare?

Illud